

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*M.A. Level Medieval Latin Examination*

**April 12, 1993**

Translate **ALL** PASSAGES. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

\*\*\*\*\*

**1. From the Voyage of St. Brendan**

Igitur Sanctus Brendanus cum suis fratribus, accepta benedictione uiri Dei, ceperunt nauigare contra meridiem per totum quadragesime tempus, et ferebatur huc atque illuc illorum nauicula, et erat illis cibus tantum aqua, quam acceperant ab insula uiri Dei, per triduum reficiendo sine ulla esurie et siti permanentes leti omnes.

Tunc, sicut predixerat uir Dei, uenerunt ad insulam predicti procuratoris in Sabbato Sancto. Et ut uenerunt ad portum, occurrit illis obuiam cum gaudio magno omnesque de nauis leuauit propriis brachiis. Peracto uero diuino officio diei sancti, obposuit coram eis cenam. Facto uero iam uespere, ascenderunt nauiculam et idem uir cum illis.

Cum autem nauigassent, inuenerunt beluam statim in solito loco, et ibi laudes Deo cantauerunt tota nocte et missas mane. Finita uero missa, cepit Jasconius ire in suam uiam, et omnes fratres qui cum sancto Brendano erant ceperunt clamare ad Dominum, dicentes: "Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terre et in mari longe."

## 2. Innocent III: When penitence is too late

Dicent intra se penitentiam agentes: "Erravimus a via veritatis et iustitiae lumen non luxit nobis". "Tunc incipient dicere montibus: 'Cadite super nos'; et collibus: 'Operite nos'". Penitebunt ad penam, sed non convertentur ad veniam. Iustum est enim ut qui noluerunt cum potuerunt, cum velint non possint, dedit enim eis Deus locum penitentiae et ipsi abusi sunt eo. Propterea dives ille qui cruciabatur in flamma, dicebat ad Abraham: "Rogo te, pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Cui cum Abraham respondisset: 'Habent Moysen et prophetas, audiant illos', subiunxit: 'Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent'". Agebat et ipse penitentiam in inferno, sed quia cognoscebat illam inutilem, rogabat ut annuntiaretur hoc fratribus suis, quatenus agerent penitentiam in hoc seculo fructuosam, quia tunc prodest homini penitere, cum potest ipse peccare.

## 3. Geoffrey of Monmouth: King Arthur to the rescue

Quibus mox rex ipse Arturus cum agmine suo, adhuc recenti, in auxilium festinus occurrens, extracto Caleburno ense, celsa voce se testatur adesse atque retrocedentes his verbis hortatur, dicens: "Ut quid fugitis? Quid pertimescitis? Ne abscedat ullus vestrum! Ecce dux vester qui ad certamen vos adduxi, paratus, si forte contingat, pro vobis occumbere nec, dum vita comes fuerit, vos vel campum hunc relinquam, donec triumpho potitus hostes fugae aut deditioni hodie compellam. Mementote dextrarum vestrarum, quae tot proeliis exercitatae, omnibus adversariis usque modo praevaluerunt. Mementote libertatis vestrae, quam sibi subdere affectant semiviri isti." Haec cum vociferatus esset, irruit in hostes, caedit, prosternit et tamquam leo famelicus in animalia saevit. Nemo ei obvius esse ausus est: diffugiunt omnes et latere magis quam pugnare quaerunt, quippe nullus eorum evadere poterat quem cruentato ense summotenus tangebatur; ita erat mortiferum vulnus illius gladii.

#### 4. Bede: On months

Menses dicti a *mensura*, qua quisque eorum *mensuratur*. Sed melius a luna quae graeco sermone *mene* vocatur; nam et apud eos menses vocantur *menes*. Sed et apud hebraeos, Hieronimo teste, luna, quam *iare* nominant, mensibus nomen dedit; unde et Iesus filius Sirach qui utique hebraice scripsit, de luna loquens, ait: *mensis secundum nomen est eius*. Antiqui enim menses suos non a solis sed a lunae cursu computare solebant; unde quoties in scriptura sacra sive in lege seu ante legem, quota die mensis quid factum dictumve sit indicatur, non aliud quam lunae aetas significatur; a qua semper hebraei, quibus credita sunt eloquia Dei, antiquo patrum more menses observare non cessant, primum mensem novorum, qui paschae caeremoniis sacratus est, nisan appellantes, qui propter multivagum lunae discursum nunc in martium mensem, nunc incidit in aprillem, nunc aliquot dies maii mensis occupat. Sed rectius aprili deputatur quia semper in ipso vel incipit vel desinit vel totus includitur.